Medicina

Geppert Mathias Jos: (Polonus Cracoviensis): Theses inaugurales mediciae. Vindob. 1771. ?

THESES
INAUGURALES MEDICÆ
QUAS AUCTORITATE, ET CONSENSU
Illuſtriſſimorum, Perilluſtrium, Magnificorum
Spectabilium, Clariſſimorum Virorum,
Perilluſtris, Conſultiſſimi, ac Magnifici Domin
UNIVERSITATIS RECTORI
Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, ac Ampliſſimi Domin
UNIVERSITATIS CANCELLARII,
Perilluſtris, Magnifici, ac Clariſſimi Inclytæ Faculta
Medicæ
DOMINI PRIMI PRÆSIDIS,
Perilluſtris, Spectabilis, ac Magnifici, Inclytæ Ejusd
Facultatis
DOMINI SECUNDI PRÆSIDIS
Perilluſtris, Clariſſimi, ac Spectabilis Inclytæ Ejusd
Facultatis
DOMINI DECANI,
D. D. Sacræ Cæſareo-Regiæ Apoſtol. Majeſta
Conſiliariorum, ac Archiatrorum, nec non
Clariſſimorum
D. D. PROFESSORUM,
Venerabilis Domini Senioris, atque totius Ampliſſ
DOMINORUM MEDICORUM COLLEGII,
Pro ſupremis in Medicina Honoribus, & Privile
Doctoralibus legitime obtinendis.
In Antiquiſſima, ac Celeberrima Univerſitate Vindobone
Publicæ Diſquiſitioni ſubmittit.

MATHIAS JOS. GEPPERT
Polonus Patritius Cracovienſis
Philoſophiæ Doctor

IN PALATIO UNIVERSITATIS
Die Menſis Julii Anno M DCC LXXI

LITTERIS KIRCHBERGERIANIS.

PRÆFATIO.

L. B.

Quum pro more ac instituto Academico in utroque **Examine** *quinquennalis Studii mei Medici, coram Amplissimis ac Expertissimis Viris dedissem specimen, de materia inauguralis Dissertationis cogitandum erat. In vastissimo artis hujus saluberrimæ campo, res tam graves, conservandoque generi humano, tam pernecessariæ occurrebant, ut etsi in hac perficienda, immortale sibi nomen pepererint plurimi, restent tamen tanta ac talia, quæ medicis non unum illudque copiosissimum disquirendi discernendique porrigant argumentum; & licet supra vires meas tanta moliri bene intelligerem, tentare tamen quid vetaret? Verum demandata mihi* **DE SUPER** *provincia abeundi in Regnum Bohemiæ pro præstanda Ægris assis-*

aſſiſtentia medica, vix tantum temporis reliquit, ut Theſes inaugurales Medicas, publicæ Diſputationi potuiſſem exponere, pro quibus, ex parte illa Artis Medicæ, quæ quid circa gravidas, parturientes, puerperas, & neonatos ſit faciendum, moliendumve, aut omittendum, *ex duplici Artis hujus curſu ſelegi, quas ex ore Clariſſimi Viri Domini* LEBMACHER *in hac Univerſitate Celeberrima in publicis collegiis audire obtigit.*

Haſce igitur Theſes benigno ſi ſuſceperis L. B. animo, mihi gratulabor. Vale.

THE-

THESES PRACTICÆ.

I.

Puerpera, ut summe vulneratus, tractanda.

II.

Animi deliquia, convulsiones post partum contingentes, a sanguine, nunc liberius per systema mesentericum non amplius a mole uteri pressum, circulante, adeoque cerebro, cerebello, & consequenter etiam cordi detracto, frequentissime oriuntur; quæ sustentatione abdominis, lenique ejusdem fasciarum constrictione (minime vero spirituosis, volatilibus, nerveisve cardiacis, ut nec interne, ita neque externe applicandis) sopiendæ sunt. Orta vero mala hæc a jactu-

ra humorum nimia sub, ante, vel in ipso partu facta aliam exposcunt medelam.

III.

Arcta autem, fortisque fasciarum abdomini puerperæ circumductio suppressionem lochiorum, uterive hæmorrhagiam, oppressionem pectoris, anxietatem summam, febrem validam, delirium, alvi adstrictionem, & alia mala causare solet.

IV.

Quare Medicus ad puerperam symptomatibus (III.) enarratis laborantem vocatus, abdomen, arctisne circumductum sit fasciis, examinandum habet, persuadendus, symptomata (III.) descripta non citius (factis, per me licet, venæ sectionibus, etiam repetitis; applicatis cuicunque parti vesicantibus; mari quoque temperantium, refrigerantiumve exhausto) donec illa fasciarum abdomini circumductarum arctitudo tollatur, atque strictura, levatum iri.

V.

Febris puerperis tertio, quarto die, serius, aut citius superveniens, vehementior

aliis,

aliis, aliis mitior, de essentia puerperii esse videtur.

VI.

Causa febris (V.) descriptæ, atque *lacteæ* in arte vocatæ, vel lac ex substantia uteri in massam sanguinis raptum, vel superficiei uteri internæ ea, qua eidem adhærebat placenta, parte suppuratio facta statui potest.

VII.

Regimen puerperii, ut & medicamenta, alimentave, vel potulenta calida, stimulantia, minime sunto: hæc enim puerperam, laboribus partus antea divexatam, & defatigatam maximopere debilitant, spissitudinem inflammatoriam inducunt, atque vel suppressionem lochiorum, unde inflammatio uteri (malum puerperis tam exitiale, & vix non semper lethale), vel exanthemata perperam provocata post se trahunt.

VIII.

Sed cavendum pariter est a frigidis, quæ perspirationem puerperis tam salutarem facile sufflaminare solent; unde iterato lochio-

rum suppressio, atque uteri inflammatio (VII.).

IX.

Aër temperatus, sæpe renovatus, ita tamen, ut non immediate allambat puerperam; renovatio linteaminum, indusiorum, bene exsiccatorum, aut fumo aromatico lustratorum, mutatio; potus aquæ recentis, nec frigidæ, nec calidæ admodum, optima puerperis cardiaca.

X.

Puerperæ lecto alligandæ non sunt, præcipue ubi febris lactea jam deferbuit; nisi procidentia uteri laborent. Cavento tamen sollicite a perfrigeratione.

XI.

Dolores posthumi, mitiores primo, sæviores communiter subsequentibus partubus, a flatibus, acrimonia humorum, alvo adstricta, grumis, placentave in utero relicta pendentes, clysmatibus emollientibus, oleosis cum chamomilla, internisque lenissime stimulantibus uti est aqua Melissæ simplex, absorbentibus, diacodiatis, etiam pro re na-

ta ipſa eſſentia ſuccini, feliciſſime debellantur.

XII.

Febris lactea (V.), niſi exorbitet, temperantibus, & abſorbentibus, potibusque theatis, communiter cedit.

XIII.

Quæ ſi exorbitet, atque inflammationem aliquam topicam producat, vel lochia ſupprimat, venæ ſectione, aliisque (XII.) erit oppugnanda. Clysmata oleoſa, emollientia, & in febre lactea, & alio puerperii tempore nunquam nocere viſa ſunt.

XIV.

Hinc falſa eſt regula: *a recenti puerperii ſtatu contraindicari ſemper venæ ſectionem.*

XV.

Lac, tenello poſt partum deſtinatum a natura alimentum fœtui, lege ejusdem naturæ fertur ad mammas, illac evacuandum. Verum ubi iſthic offendit reſiſtentiam, vagabundum in corpore ad varias tam nobiles, quam ignobiles defertur partes, diros ibidem,

atque non facile curabiles generaturum morbos. Apoplexiæ inde, hydropes, & alia mala inde orta obſervata ſunt Auctoribus.

XVI.

Felix profecto eſt materiæ hujus lacteæ metaſtaſis ad uteri cavum, ſub nomine *Lochiorum lacteorum* iſthac poſtea eliminandæ. Non infauſta pariter in cavum inteſtinorum, vel ad vias urinarias depoſitio, excernendæ dein cum alvo, urinave, caſeoſis. Sudor puerperarum acidus, non ſemper miliaria, ſed potius evacuationem materiæ lacteæ, quodammodo jam immutatæ, denunciat, cum plures puerperæ, quibus neque per mammas, nec per uterum, nec cum alvo, urinave evacuata fuit materies dicta, nullam depoſitionem lacteam paſſæ fuiſſe obſervatæ ſint.

XVII.

Ergo lac poſt partum evacuari debet, quod vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter fieri poteſt.

XVIII.

Solet vero vel per mammas, vel per uterum, vel urinas, vel per alvum, vel per

per ſudorem fieri ſenſibilis evacuatio hæc. Inſenſibilem ejusdem evacuationem per tranſpirationem contingere probat fors neceſſitas illa ſumma conſervandæ in puerperis perſpirationis Sanctorianæ.

XIX.

Veroſimile igitur videtur, materiem hanc lacteam, in corpore puerperæ relictam, non amplius converti poſſe in humores ejusdem ſanos, cum non evacuata (XVIII.) depoſitionem illam, *lacteam* dictam, fere ſemper producere ſolitum habeat.

XX.

Cognoſcitur depoſitio hæc lactea fieri, ſi poſt puerperium deferveſcente jam febre lactea, nec per mammas, nec per lochia, nec per alvum, nec per urinas videatur evacuatio lactis, ſed ſuccedat ſine ulla cauſa quadam in parte dolor, tumor albicans, tenſio, & alia ejusmodi ſymptomata, quæ metaſtaſim aliis etiam in morbis denunciare ſolent.

XXI.

Ad femora, inguina, &c. frequentiſſime deponi ſolita materies hæc facit ibidem tumorem, ab œdemate in eo diſtinguendum: 1mo quod depoſitio hæc fiat poſt puerperium deferveſcente jam febre lactea, vel poſt ablactationem; œdema omni tempore. 2do. Depoſitio incipit a ſupra, deorſum deſcendit; œdema ab infra incipiens ſuperiora petit. 3tio. Depoſitionem præcedit dolor vehemens, & concomitatur; non ita œdema. 4to. Tumor lacteus eſt ſuperius major, latior; inferius minor, anguſtior, contra ac in œdemate uſuvenit.

XXII.

Indiciis futuræ depoſitionis lacteæ habitis mox cura ſumme antiphlogiſtica eſt adhibenda. Venam bis, ter, etiam quater ſecare; lenia purgantia interne aſſumenda, aliave revellentia exhibere, quo ſalia media lapidibus cancrorum maritata optime quadrant; cataplasmata (ſi manui acceſſus detur) diſcutientia, & reſolventia ex mica panis, ſapone veneto, ſale alcalino, vel ejusdem lixivio cum tantillo cam-

pho-

phoræ, vel & croci applicare, natura tumoris, & vehementia mali indicant.

XXIII.

Tumor lacteus externe patens, dictis (XXII.) non cedens, aperturam exposcit.

XXIV.

Ad articulos depositum lac, horum hydropem, & destructionem minitatur. Periculosa ejusdem depositio ad coxam. Periculosissima ad internas corporis partes, præcipue ad caput.

XXV.

Diarrhœa non admodum infrequens est puerperis; quamvis & alvus adstricta in iisdem observata fuerit.

XXVI.

Diarrhœa hæc in *criticam*, & *symptomaticam* non incongrue dividi solet, quod ratione curæ bene notari debet.

XXVII.

Critica sequentibus noscitur signis: 1mo: incipit post tertium vel quartum a partu

diem.

diem. 2do. Alvus eſt pultacea, flava, vel alba, vel ex his variegata, cum euphoria. 3tio. Lochia, urina non ſuppiimuntur, tantummodo imminuuntur. 4to. Appetitus, & ſomnus, integra manent, aut vix læduntur. 5to. Pulſus eſt pacatus. 6to. Abdomen molle.

XXVIII.

Symptomaticam pronunciabis, ſi 1mo. citius, quam (XXVII. 1mo.) incipit. 2do. Alvus limoſa, & ſtatim nigricans, mox in gryſeam & feroſam, quandoque mucoſam & ſanguinolentam mutanda. 3tio. Lochiorum ſuppreſſio. 4to. Tumor abdominis. 5to. Proſtratio virium. 6to. Appetitus deletus. 7mo. Agrypnia. 8vo. Urina parcior cum ſedimento lateritio. 9no. Ardor internorum cum externorum frigore.

XXIX.

Criticam talem diarrhœam inhibere vetant artis regulæ, hinc demulcentia, oleoſa blanda, lubricantia exhibenda. Symptomatica neque promovenda, neque ſiſtenda, ſed antiſepticis efficacibus putredo incep-

cepta corrigenda, ſimulque vires labaſcentes erigendæ.

XXX.

Alvum adſtrictam, niſi emollentibus, oleoſis, ano & cato exhibitis cedat, purgantia rhabarbarina, myrobalani compeſcunt.

F I N I S.